



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

In Angliam tendit, & euadit saluus. ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

à Sanctitate sua nuper editam. Et cum præ mea debilitate alias corporales pœnitentias subire nequeam, Rosarium Beatissimæ Virginis *Mariæ* vnâ cum septem Psalmis pœnitentialibus & Litanij, singulis diebus (diuina me adiuuante gratia) per totum hoc tempus quadragesimale recitare decreui, modò vite viresque mihi suppetant, quod iudicio Confessoris mei relinquo. Redeamus nunc ad *Personium*.

I X Domestica disciplina Seminariorum mittendorumque in Angliam Sacerdotum cura immediatis Superioribus incumberebat, *Personio* tamen ab eorundem origine commendata fuerat vniuersalis quædam inspectio, tum volente *Aquauina*, tum Pontifice assentiente, vt cuius industria tam magnum subsidium peritura Angliæ fuerat comparatum eius sollicitudine foueretur perficereturque. Conatus vero plurium annorum felici successu, ac Religionis in ea imula non leui incremento comprobatus mentem *Claudio* iniecit, vt cum Rectoris Seminarij de vrbe officio in eum collato, in reliqua etiam autoritatem illi confirmaret sub nomine *Præfeti Missionis Anglicanæ*: Quæ Præfectura Societate ipsam præcipue eiusq. subditos in Seminarijs & in Anglia commorantes, & per varia Collegia dispersos Anglos spectaret, ab illis autem ad cæteros ad Seminaria pertinentes, aut in Anglia laborantes, quantum commode fieri posset, deriuaretur. Et anno quidem nonagesimo inchoata primum est illa administratio institutis Seminarijs Vallisoletano & Hispalensi; sexto verò post anno in eam formam est redacta quæ vsque ad nouæ Prouinciæ in Anglia erectæ initia annis prope triginta durauit floruitque; excogitatis regulis quibus Præfectus Romæ & per Hispanias & Belgium vice Præfeti inter se, & cum Prouincialibus cæterisque Superioribus ad tam præclaræ missionis bonum promouendum iunctis operis conuenirent. Quarum exemplar Regularum Anno sexcentesimo sexto confirmatarum hic adnectere operæ pretium visum est, vt quâ animorum coniunctione, quaque prudentiâ res tanta tam multis annis est administrata, posteritati commendetur.

Officium & Regulæ Præfeti Missionum, tam pro Missionis Societatis dirigenda, quàm pro Seminarijs Anglicanis, quæ Societatis regimini subsunt iuuandis.

C *Laudius Aquauina* Societatis Iesu Præpositus Generalis vniuersis Prouincialibus, Rectoribus, alijsque eiusdem Societatis Superioribus, & Religiosis, qui Anglicanæ Missionis iuuandæ occasionem habent, salutem in eo qui est vera salus.

Cum Anglicana Persecutio, præter hominum expectationem, ex diuina permissione, ad maiorem probationem & consummationem eorum qui sunt saluandi, prorogata sit; & sancta sedes Apostolica omnibus vijs & modis prouidendum censeat ne Sacerdotum Missiones deficiant; neue Catholici in tantis periculis positi Sacramentorum beneficio, alijsque Ecclesiasticis

1596.

rum ministeriis destituantur; nobis visum est pro ea parte sollicitudinis quæ Societati commendata est, quæ antea pro Seminariis ac Missionibus nostræ curæ subiectis ritè administrandis seruanda commendaueramus, hæc eadem nunc recognita, Prouincialibus, ac Rectoribus, cæterisque Societatis nostræ Religiosis plurimum in Domino commendare.

In quo quidem hunc præcipuè scopum nobis propositum habemus vt missio hæc (in se satis ardua, nullisque vel exiguis humanis fundamentis nixa, partim domesticis suorum persecutionibus, partim externis difficultatibus ac necessitatibus agitata) aliqua saltem ratione, quantum per nos fieri possit, stabiliatur; atque ea eiusdem portio quæ ante multos annos non sine fructu & nunc iterum diuina, & sedis Apostolicæ ordinatione Societatis nostræ Caritati (ad maiorem Dei gloriam) est commissa, ipsius fauore & auxilio (quantum sine Prouinciarum incommodo liceat) ad finem sibi constitutum promoueatur.

Quare cum missio hæc Anglicana ad instar Prouinciæ cuiusdam gubernanda sit, & propter præsentem persecutionem in diuersis Societatis nostræ Prouincijs dispersa, non possit ab vno aliquo Præposito Prouinciali omnino administrari, multaque occurrant in dies in Seminarijs Anglicanis Societatis nostræ regimini commissis præstanda, quæ à Prouincialibus & Rectoribus (cum eiusdem Nationis non sint) facile sciri, aut commodè, & suo tempore præstari non possunt, (Eiusmodi sunt, Iuuenum idoneorum ex Anglia euocatio, & eorundem, cum venerint, cognitio, & per Seminaria debita distributio, vel ab vno Seminario in aliud sanitatis aut studiorum causa commutatio, vel etiam dimissio, viaticorum limitatio vel dispensatio, missionum directio, mittendorumque institutio, aliaque plurima, quæ vt ritè ad Dei gloriam, Angliæ quæ maiorem vtilitatem fiant, particularem rerum Anglicanarum notitiam atque sollicitudinem requirunt) ideo præter eam curam atque Caritatem quam dicti Præpositi Prouinciales atque Seminariorum Rectores Anglicano operi promouendo adhibent, adiungendum etiam Patrem quendam Societatis nostræ, ex eadem Natione Anglicana, ad partem sollicitudinis atque laboris duximus; ipsique ad meliorem Missionum ac Seminariorum administrationem (sicut in alijs Prouincijs immediatis Superioribus pro eisdem benè gubernandis concedere solemus) vices nostras comittere, ex quo tam Prouinciales quam Rectores, non solum lumen, sed auxilium quoque atque leuamen, multis in rebus accipient; eique sequentes Regulas, directionis causa, præscripsimus.

Primo itaque ad hunc Patrem (qui Missionum Præfectus nominari poterit) præcipuè pertinebit curare vt Iuuenes idonei ad Seminariorum institutionem ex Anglia, alijsque locis vicinis, suis temporibus euocentur, quò Seminarijs iustus Alumnorum numerus non desit, non obstante temporum difficultate, aut hæreticorum contrario conatu.

Hoc autem vt efficacius præstet, nosse debet vias modosque quibus ante ipsum vsi sunt alij ad iuuenes Catholicos euocandos, certasque personas quibus

quibus tuto fidere possit notas habebit, tum in Anglia, tum etiam in Scotia, 1596.
Hybernia, & Belgio, quarum ad hoc operâ secreto utetur.

Aduentantes vtiò quoscunque iuvenes, siue à se vocatos, siue alia quacunque ratione accesserint, curabit siue per se, siue per alium Sacerdotem Angliam Societatis nostræ (ne fraus vlla, aut fictio lateat) diligenter examiniari, iuxta formam hac de re præscriptam; idoneosque inuentos (adhibito Rectoris, & consultorum iudicio) admittendos curabit, eosdemque cum opus fuerit, eadem ratione amouere poterit, obseruatis ijs quæ alibi de modo admittendi præscripta etiam sunt, & in Seminariis habentur; neque vllus Scholaris qui receptus fuerit in vllò Seminario, transibit ad aliud, neque in eo recipietur, nisi patentes literas Præfecti habuerit.

Diligenter studebit conseruare vnionem & amorem inter Seminaria, omni- que dissensionis, ac æmulationis, quantum in se fuerit, anlas mature præscindet; æquum & indifferentem se præbebit in Alumnis dispartendis, ceterisque rebus distribuendis, quæ vel ad honorem Collegij, vel commodum cuiusque Seminarij pertineant. Quod vero attinet ad cursus siue Artium siue Theologiæ, siue casuum conscientiæ incipiendos, ac numerum qualitatemque Alumnorum illis applicandorum in quolibet Seminario, ad Præfecti arbitrium iudiciumque; adhibito Rectoris ac Consultorum iudicio, nos remittimus. Quod si aliquando Rectores (vt fit) de viaticis perloquendis, vel de Alumnis inter se permutandis discrepent, ipse controuersiam cum amore dirimat, & intelligat hanc præcipuam esse officij sui partem, vt omnes difficultates quæ vel inter differentes nationes, vel domesticos, vel Alumnos, vel ipsos etiam Rectores oriri possunt, prudenter componat, admonito semper Prouinciali cum aliquid maioris momenti acciderit.

Hic Missionum Præfectus à Præposito Generali assignabitur, cui in ijs quæ ad vniuersale bonum Seminariorum, Angliæque reductionem spectant, immediatè subesse oportebit, cum ad nullum ea certum Prouincialem pertineant, neque ipse Præfectus certo aliquo in loco moram semper facere possit; si in Hispaniis est, aliquando Vallisoleti, aliquando Hispali, aliquando etiam in Curia Regia, pro negotiorum necessitate versandum erit. Dum tamen in aliqua Prouincia versabitur, Prouinciali eiusdem in omnibus quæ ad personam propriam, moreque, & ad ordinarium regimen disciplinamque Societatis pertinent suberit. Præcipua etiam negotia cum ipso communicabit, vt postea dicitur; ita tamen vt per eum impediri non possit in ijs quæ ad officium suum pertinent, neque in alijs occupari, nisi prius consulto Præposito Generali.

Rectoribus verò Seminariorum, dum apud eos morabitur, licet subiectus non sit, omnem tamen Reuerentiam eis debitam exhibebit, primum locum dabit, ipse secundum in Seminarijs habeat, & vtriusque Seminarij indigena censetur. Regimen tamen Rectorum, aut gubernationem ordinariam nullo modo impediet; sed si aliquid momenti in Seminario emendandum videatur, priuatim cum Rectore, vel Prouinciali tractet; quod eâ

1596. I prudentiâ & moderatione faciet, vt auctoritatem Rectoris apud Alumnos, vel apud domesticos, vel etiam externos, non imminuat; & querelis quidem domesticis (si quæ oriantur) non sè facile commisceat, sed ad Rectorem eas ordinariè remittat: Iple vero vniuersalioribus Seminariorum commodis præcipuè insistat, & Rectores adiuuet, tum in pace Collegij conseruanda, disciplinaque & virtute, studijque Alumnorum promouendis, tum etiam (vel maximè) in rebus temporalibus procurandis & negotijs expediendis, Missionibus faciendis, vt dictum est.

Has ipsas ob causas Rectores etiam libenter eum apud se in Seminarijs habebunt, quamdiu apud eos morari poterit, magnaque amoris significatione in omnibus tractabunt, consiliaque sua confidenter cum eo communicabunt, siue præsentè, siue absente, neque facillè quidquam quod maioris momenti sit, ipso inconulto, aut contra ipsius iudicium, vel ipsi vel Prouinciales facient in rebus Seminariorum & Alumnorum, nisi habito prius ad illud Præpositi Generalis consensu; præsertim in contractibus aut ædificijs faciendis, aut si quid mutandum, aut innouandum maioris momenti videatur eorum quæ antea facta, instituta, aut recepta in Seminarijs sunt, aut si aliquid de nouo inducendum; quod parè quidem, & non nisi prius auditis Seminarij Consultoribus, ipsoque Præfecto Missionum assentiente faciendum erit; ad incommoda plurima quæ mutationes frequentes consequi solent euitanda.

In rebus autem temporalibus quæ ad Seminaria pertinent, & quas Præfectus maximè curare debet, Rectores præter eam rationem, quam semel quouis anno Prouincialibus reddere solent, efficere etiam debent vt sæpius cum Præfecto Missionum statum Collegiorum fidenter communicent, acceptiq; & expensæ (quoties ipsi videbitur) rationes ei significant vel explicant; quò maturius eorum necessitatibus, quantum in ipso fuerit, opem afferre possit. In sumptibus etiam faciendis vel moderandis libenter eius iudicium audient, & sequentur: Quod si non fecerint, ipse Prouincialem admonebit, quo remedium efficax adhibeatur.

Cum tam Seminariorum, quàm totius causæ Anglicanæ sustentandæ firmamentum Regio fauore præcipuè nitatur, eiusque rei gratia sæpius ad Aulam recurrentu sit, videbit Præfectus Missionum si vel ipse vel tuo nomine Procurator aliquis pro Natione Anglicana, per Generalem Societatis approbatus, apud Curiam tam in Hispania, quàm in Belgio residere debeat. Is autem ommissis, quantum fieri potest, particularium hominum negotijs, (quanquam etiam eorum necessitatibus caritas aliquando negari non debet) communia tractet, quæ ad totius causæ Catholicæ, & Seminariorum præcipuè, vtilitatem spectent, eaque cum Prouinciali, dum aderit, quantum ei licebit & rerum ipsarum conditio postulauerit, communicabit, eiusque iudicium in exequendis, quoad poterit, sequetur.

Expensæ vero quas Procurator, vel ipse etiam Præfectus necessario facient,
tum

tum pro se, tum etiam pro literis quæ ex varijs locis deferuntur, cum ad commune bonum Seminariorum pertineant, sumptus etiam itinerum quæ Seminariorum causa facturus est Præfectus Missionum, ipsius distribuendi erunt iudicio in Seminaria, si aliunde non suppetat; curabit tamen ut quàm minimè fieri potest Seminaria hinc grauentur; & Rectores ex alia parte ad id quod iustum est & necessarium faciliè beneuoleque se accommodabunt, nec respicient solummodo bonum particulare cuiusque Seminarij, sed vniuersale potius totius causæ Catholicæ quam tuentur, & ad quod sunt instituta Seminaria.

Mutatio Alumnorum de vno Seminario ad aliud ob rationes studiorum, aut valetudinis aliaue de causa ad hunc ipsum Præfectum Missionum pertinebit, sicutis Rectoribus & consultoribus Seminariorum, quando opus fuerit. Quod idem de Anglis Societatis intelligitur qui in Seminarijs viuunt, consultis prius Prouincialibus Prouinciarum è quibus euocantur, & ad quas destinantur. Et quia Seminarium Anglorum Audomarense quod est in Belgio, institutionis suæ propositio Hispanicis subordinatum intelligitur, hanc ipsam facultatem & assistentiam habeat Præfectus Missionum in illud etiam Seminarium Audomarense, vicelque suas absens alicui Sacerdoti Anglo Societatis nostræ (Præpositi Generalis approbatione) committere poterit, qui in omnibus se habeat cum Rectore Audomarensi, & Rector cum eo, ut hic supra explicatum est; Præfectoque Missionum qui in Hispanijs vel alibi fuerit, rationem reddet frequenter, de rebus quæ ad illud Seminarium pertinent, & iste de omnibus ad Præpositum Generalem, ut sic maiori vnione & robore causa Religionis Catholicæ per Seminaria promoueat. Atque hæc eadem quæ de vice-Præfectis in Hispania & Belgio commorantibus dicta sunt, erunt in omnibus etiam intelligenda de Superiore nostrorum in Anglia, & de Rectore & Superiore, aut Magistro Nonitorum, domulque probationis, in Belgio commorantibus, ut per omnia eadem ubique subordinatio teneatur.

Hac etiam de causa licebit Præfecto ex eleemosynis quas ipse procurauerit, vel alijs nonnullis aliquando in Anglos Catholicos qui transferint (si egenes sint) distribuere, prout in Conscientia videbitur ei expedire; Et quando eleemosynæ extraordinariæ non se obtulerint, poterit ex ordinarijs Seminariorum redditibus aliquid excerpere, sicut etiam pro viaticis Patrum Societatis qui mittuntur in Angliam, vel euocantur ex Flandria, Italia, alijsque locis, cum hæc omnia ad commune causæ Catholicæ tuendæ bonum pertineant, atque ad hos ipsos vsus generales poterit nonnullas pecunias aliquando etiam deputare, vel apud se retinere, aut suo iudicio distribuere, præsertim earum eleemosynarum quæ suo arbitrio ab elargientibus permittuntur.

Ex Seminario Audomarensi, cum ei videbitur, euocabit Alumnos quos iudicauerit idoneos ad Seminaria Hispaniæ, neque reclamabunt ij qui Audomari præfunt, neque aliò iuuenes amandabunt sine Præfecti ipsius expressa

1396.

voluntate, eo quod hæc fuerit Regis Catholici in fundando Seminario Audomarenſi, eorumque qui negotium ſolicitarunt ac promouerunt intentio præcipua vt in illo Seminario Seminariis Hiſpanicis ſoboles idonea pararetur, quæ ſuis temporibus in Hiſpaniam mitteretur. Quoad viatica quæ ad iter Hiſpanicum erunt neceſſaria Præfectus ſtatuet quid quantumque Seminario Audomarenſi, ex quo egrediuntur, quidue aliis Seminariis, ad quæ ſcholares proficiuntur, erit imponendum.

Ad maiorem autem Nationum diuerſarum vniõnem, notiſſimamque tum rerum tum perſonarum, & vt maiori luce, ſuauiſſime, & amore procedatur cum Alumnis, curabit Præfectus Miſſionum, quantum fieri poteſt, vt Sacerdotes aliqui Societatis ex gente Anglicana, qui boni exempli probatæque virtutis ſunt, in quolibet Seminario collocentur, vt paratiores inde ad Miſſiones Anglicanas exeant; quod vt commodius & ſuo tempore fiat, aget Præfectus opportunè cum Præſposito Generali de perſonis quæ maximè ei videbuntur idoneæ. Ad infirmorum etiam curam, aliaque ſimilia Seminariorum miniſteria, in quibus Societatis caritas cum Alumnis exercenda eſt, ſi qui eiufdem Nationis Anglicanæ Coadiutores Societatis idonei, probatæque virtutis fuerint in Prouincijs, qui linguam, mores, & neceſſitates Alumnorum intelligant, ipſiſque benignè ac ſolicite proſpecturi cenſeantur, inter ceteros Coadiutores qui Seminariorum res temporales tractant, ad ipſa Seminariorum ſunt vocandi; nuſquam enim Deo & Societati magis ſeruire, neque vtilius operam ſuam præſtare poterunt; Aget igitur cum Præſposito Prouinciali Prouinciæ vbi ſitum eſt Seminarium hiſ de rebus, id eſt, de ſubditis aptis procurandis; qui eum libenter audiet benignèque ac maturè proſpiciet Seminariorum neceſſitatibus, cum plurimum referat, tum ad diuinam gloriam, tum ad honorem & æſtimationem Societatis vt Seminariorum rectè, & per homines idoneos adminiſtrantur.

Cum Reſidentia Sacerdotum Anglorum apud Ciuitates Lucarenſem & Viſſiponenſem in Bætica & Luſitania, hiſ annis inſtituta, ad Miſſiones Anglicanas valde ſunt neceſſaria atque etiam opportuna, neque vlli tamen ex Seminarijs Hiſpanicis ſubſint, ſed omnium Miſſionibus inſeruiant, ad Præfectum Miſſionum pertinebit eiſdem proſpicere, & de Sacerdotibus idoneis maturè provide- re, eoſdemque iterum amouere, & ad Miſſiones deſtinare, vel ad Seminariorum reuocare, cum opus fuerit, prout ad maiorem Dei gloriam, ipſorumque vtilitatem expedire iudicabit.

Eiuſmodi autem Miſſionum Præfectus, tum Alumnorum, dum ſub noſtra cura ſunt, tum Religioſorum Societatis Nationis Anglicanæ, qui huic Miſſioni deſtinati iam fuerint, & in Prouinciæ huic rebus tractandis, & adminiſtrandis, ſive in Anglia, ſive extra Angliam in Seminarijs, Reſidentijs, vel alibi quocun- que modo, in rebus eiufdem Miſſionis occupantur, Superior cenſebitur, ipſiſque concedere poterit ea omnia quæ ſedis Apoſtolicæ auctoritate nobis conceſſa, immediatis aliarum Prouinciarum Præſpositis ac Superioribus ad-
miniſtranda

ministranda & dispensanda commisimus: Ita tamen vt Rectoribus etiam & Præpositis Prouincialibus earum Prouinciarum vbi extra Angliam victuri sunt, in cæteris quæ ad communem disciplinam spectant subijciantur.

Quæ vero in his regulis Præfecto missionum pro bona earundem ac Seminariorum administratione committenda & concedenda duximus, hæc eadem intelligantur ordinata & concessa eis qui (nostra vel successorum nostrorum auctoritate & mandato) dictarum Missionum immediatam curam ac sollicitudinem, nostrasque ac dicti Præfecti vices gesserint in Prouincijs in quibus ipsemet Præfectus adesse non poterit, cum subordinatione tamen ad Præfectum in his quæ ad huiusmodi Missiones & Seminaria spectant, iuxta instructiones particulares hac ipsa de re à nobis vnà cum hisce regulis datas: Quas Præfectus vicissim obseruabit cum subordinatis, omni confidentia ipsorum consilio & per ipsos tractando, & executioni mandando quæ in Prouincijs circa Missiones & Seminaria agenda sunt, ipsorumque bonam opinionem conseruando tum apud externos, tum apud nostros, maximè verò ipsis subditos, vt sic vndique maiori lumine, ordine, & vnione procedatur. Omnes vero, tum ipse Præfectus, tum qui in Prouincijs eius vices gerunt, in his quæ ad ipsorum personas, mores, & ad ordinariam disciplinam Societatis spectant, vt superius dictum est, Præpositis Prouincialibus subiecti erunt.

Initio autem cuiusque Anni mittent Rectores ad Vice-Præfectos Catalogos omnium Scholarium cuiusque Seminarij & eorum qui sunt nostræ Societatis nationis Anglicanæ in iisdem Seminaris, cum notis ætatis, classis, studiorum, talentorum ac conditionis, more Societatis, & ipsi, adhibito suo iudicio, si quid obseruandum fuerit, eosdem mittent ad Præfectum: Breuem etiam summam status tam temporalis quàm spiritualis cuiusque Seminarij ad eundem perscribant, eaque omnia folijs separatis, vt libro qui de vnoquoque Collegio hic asseruabitur, inseri possint, & notitia inde peti quado opuserit. Quot etiam Scholaribus indigebunt in quolibet Seminario, quotque habeant Sacerdotes paratos vt mittantur in Angliam, nomina etiam eorum, qualitates, & talenta, folijs separatis scripta vt asseruentur, Fabricas vero neque ipsi instituunt, neque Rectores instituere (præsertim ex Collegiorum sumptibus) neque contractus maioris momenti inire (maximè si es alienum contrahendum, vel bona Seminariorum oppigneranda sint) nisi consulto prius Præfecto sinant. Scribant præterea Rectores, ac reliqui Patres, præsertim Nationis Anglicanæ, Latine initio cuiusque Anni ad eundem Præfectum Missionum (præter ea quæ Rectores & consultores Collegiorum ad nos scribere tenentur) breuem relationem eorum quæ præcipuè apud eos anno proximè elapso acciderunt, quæque ipsis videbuntur necessaria, vt nobis etiam, si opus fuerit, ostendantur. Atque hæc sunt quæ de his in præsentia admonenda atque ordinanda duximus; quæcunque vero à nobis prius circa hoc Præfecti officium, variis temporibus ordinata sunt, his regulis expressa & declarata intelligantur: cætera tempus atque vltus docebit: Interim verò hæc tam Præfecto

1597. Missionum, ipsiſque qui eius vicem in Prouincijs gerunt, quàm Rectoribus atque Prouincialibus obseruanda commendamus, à quibus animari atque paternè iuari eos qui Missionis huius curam gerunt in tanto onere perferendo, ad Dei gloriam, cupimus, Seminarijſque & Catholicorum Anglorum caulæ, qui pro fidei Confessione tot & tanta pertulere, omnem à noſtris impendi caritatem quam poſſunt exoptamus. Datum Tiburi. Die 15. Maij Anno Domini 1606. *Claudius Aquauina.*

Regulæ ſeminariorū.

1. Tim. 4 8
2. Pct. 1. 7.

Typographia Audomari erecta

Liber triū Couerſionum Angliæ.

X. His præſidijs munitus *Personius* ſedulam nauabat operam Miſſioni promouendæ augendæque, præcipuo ſtudio paci conſeruandæ inuigilans, nè quâ turbulentorum hominum importunitate aut acerbitate animorum cōmunis caulæ amplificandæ deſiderium intepeſceret: Ac in primis impetrauit vt reſcripto Pontificio firmarentur cōmendarenturque Alumnorum diligētia Regulæ Seminariorū, addita penarū remiſſione ijs qui certos dies feſtos peculiari pietate venerarentur. Tum piarum libros meditationum uocationi ac inſtituto Seminariorum accommodatarum cuique ſtudioſorum cubiculo curauit attribui, quibus ſe cū primū ſurgerent exercerent. *Pietas* enim cū *ad omnia utilis fit*, ſecundum Apoſtolum, tum præſertim *amorem fraternitatis* parit & *in Deum Charitatem*, quemadmodū monet Petrus. Deinde vt *Barreto* Seminarij Duaceni Præſidi deſuncto ſubſtitueretur *Thomas VVorthingtonus*, homo Societati coniunctiſſimus, alijsque adiungerentur pacis amantes, ab diſſidijs uero factionibusque per-quàm alieni. Adderetur præterea è Societate vir grauis qui in Collegio Patrum diuerſans, quot hebdomadis adiret Seminarium illud, adoleſcentum confeſſiones excepturus, & quâ hortatione, quâ conſilio diſſidia in primo confeſſionis ortu oppreſſurus.

Postremò, vt ſuæ gentis hominibus in promptu eſſet librorum copia, tum ad alendā pietatem, tum ad Hæreticorum deliria detegenda, comparatum Audomari prælum cum omni neceſſario inſtrumento, commiſit pio Sacerdoti *Ioanni VViſſono* (qui illi fuerat Romæ Amanuenſis) vt quos accepiſſet libros in lucem ederet. Cautumque fuit more Prouinciarum Societatis vt Cenſores conſtituerentur qui ſcriptos primū uiderent, ſuumque de iis iudicium Romam perſcriberent; vt ueritas argumentis ſolidis elucidaretur, abſtineretur diſtantijs, ac præcipuè ab omni rerum publicarum inconſulta tractatione, quâ Regum Magnatorumue animis exacerbatis Religio detrimentum pateretur. Primisque annis, cū huius temporis Hæreticorum peruerſitas, ex odio aduerſus ſedem Apoſtolicam trahens originem, nullum non moueret lapidem quo Romani Pontificis dignitatem peſſundaret & tolleret uenerationem; atque nè Romanis tantum debere uideretur Anglia quantum paſſim Catholici prædicabant, quidam inter ipſos ſcioli conarentur primam fidem in hanc Inſulam non Româ ſed ex Græcia deriuare; hæc fabula quàm eſſet inanis oſtendit *Personius*, contextâ historiâ Angliæ ter conuerſæ ad eos ritus quos ſemper Catholica Romana Eccleſia coluit, coletque ſemper, primū uidelicet ſub Apoſtolis Petro & Paulo; ſecundo, ſub Eleutherio Pontifice,

miſis